



# Disputatio juridica inauguralis de evictionibus

<https://hdl.handle.net/1874/343791>

17.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
EVICTIIONIBUS,

QUAM  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitime consequendis,

*Eruditorum examini subicit*

WILHELMUS VAN BERGEN, Amstelod-Bat.

*Ad diem 30. Junii hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō lōc xcii.

*Nobilissimis Spectatissimis ac Consultissimis*

*V I R I S,*

D. D. KAROLO RUDOLPHO  
van KUFFELAER, J. U. D.  
Serenissimi Principis Electoris Branden-  
burgici Consiliario & Delegato, ut &  
Collegii Architalassici Embdensis assessor  
gravissimo, consobrino spectatissi-  
mo, nunquam non ex meritis colen-  
do.

D. D. JACOB O van DAM,  
nuper mercaturæ Belgarum, quæ apud  
Smirnienses exercetur, præfecto con-  
sultissimo, vigilantissimo, summa ob-  
servantia colendo.

*Hanc Disputationem Juridicam Inauguralem*

*offert & inscribit*

WILHELMUS van BERGEN.

AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,

D E

EVICTIIONIBUS.

T H E S I S I.



Um olim aureo illo seculo omnia  
ab hominibus fideliter & absque  
ulla fraude gererentur, nec ulla  
inter eos esset malitia, sed cui-  
que fides sua & fidelitas firmum  
probitatis esset signum, ac du-  
rum esset fallere datam fidem, nul-  
lis opus fuit legibus; verum enim  
vero accrescente indies hominum  
malitia, & ut Ovidius l. 1. *Metamorphoseos* recte cecinit:

*Protinus irrupit vena peioris in avum,  
Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque,  
In quorum subiere locum, fraudesque, dolique,  
Insidiaeque, & vis, & amor sceleratus habendi.*  
necesse fuit legibus homines ad fidem servandam adige-  
re;

re ; cum nemini fides haberi poterat , nemoque promissis stabat , sed aut in bonis non esset res promissa , aut post traditionem res facile exigeretur ; introductum est favorabile illud remedium evictionis , de qua dissertaturus , non incongruum fore arbitror ab ipsa vocabuli etymologia incipere. Derivatur evictio ab evincendo , quid autem sit evincere compositio vocabuli satis probat , nihil aliud , quam vincendo , non vi , sed per iudicium rem ipsam possessionemve ejus aut litis æstimationem auferre *l. 16. §. 1. l. 21. §. 1. C. seqq. ff. h. t.*

## I I.

His præmissis , transeo ad ejus definitionem. Definitur evictio , *quod sit rei nostra , quam alius justo titulo acquisiverat , per iudicem quocunque judicii genere facta recuperatio l. 24. ff. h. t.* Per quam recuperationem non quælibet , sed juste facta intelligi debet , si enim fordibus aut stultitia iudicis emtor rem amiserit , eo casu venditor evictionem præstare non tenetur , quia res jure non est evicta *l. 51. ff. h. t. & l. 15. Cod. eod. Giphani. ad Cod. h. t.* licet nulla culpa emtoris intercesserit : sed in iudicem dabitur regressus *l. 15. ff. de jud. Perez. ad Cod. h. t.* dictum quoque in definitione *justo titulo* ; quæ verba licet quidam abesse velint , quia non semper in evictione justo titulo opus est , cum ab illo , penes quem nullus est titulus , res evinci possit ; at tamen habita ratione evictionis in genere , necessarium est ut emtor ex causa emtionis , & sic ex justo titulo possideat.

## I I I.

Operæ pretium est , ut videamus quid sit evictionis præstatio : est restitutio damni illati , ob rei emta aut alia justa causa acquisita ablationem , jussu iudicis factam , belgice *Garrand*

*rand*, cujus nomine ab auctore præstanda est cautio reprobatoria, non fidejussoria l. 4. § 56. ff. h. t. quæ regula tamen tres patitur exceptiones. 1. Si post perfectam venditionem ante pretium numeratum rei venundatæ mota quæstione, in ipso limine contractus immincat evictio l. 24. Cod. h. t. eo enim casu non cogitur emtor pretium solvere, nisi ei à venditore idonei fidejussores pro evictione offerantur. 2. Si creditor aliud quam debetur in solutum recipere cogatur. Nov. 4. c. 3. *auth. hoc nisi deb. Cod. de solut.* 3. Nisi hoc specialiter actum sit l. 4. § 37. ff. h. t. præstanda est cautio ab auctore, qui est dominus, vel quasi dominus, à quo rem venditionis aut alio oneroso titulo acquisivimus l. 28. § 51. ff. h. t. & l. 7. § 22. Cod. eod. & passim; sive à quo quis auctoritatem, id est, jus domini habet l. ult. ff. h. t. & ut Cicero alibi dicit *tum demum intellexerunt se id, quod à malo auctore emissent, diutius obtinere non posse* quod ad fidejussorem, qui pro venditore cavet, secundus auctor dicitur l. 4. ff. h. t. ut & fidejussor venditionis l. 24. §. 2. ff. de act. emt.

I V.

Dictum præterea est in definitione *qualicumque judicio* ita ut res non tantum evincatur actione in rem, veluti rei vindicatione, hæreditatis petitione l. 1. Cod. h. t. verum etiam quocumque alio judicii genere; veluti actione familiaræ eriscundæ, communi dividundo l. 34. §. 1. ff. h. t. actione noxali l. 45. §. 1. ff. de leg. 1. & l. 11. §. 12. ff. de act. emt. actione præjudiciali l. 39. §. 3. ff. h. t. persecutione fidecommisaria l. 26. ff. eod. actione ad exhibendum l. 3. §. 2. & ult. ff. ad exhib. restitutione in integrum l. 15. ff. de min. & si qua sunt similia judicia.

## V.

Causæ evictionum sunt, vel quia voluntarie stipulatus est emptor de evictione, etiam si sit in quadruplum *l. 56. ff. h. t.* vel etiam ex juris necessitate præstat evictio in duplum, quod contingit in venditione rerum pretiosarum *l. 37. §. 1. ff. eod.* quales autem illæ sint iudex æstimabit *l. 1. §. 2. ff. de jur. delib.* olim etiam ex Edicto Ædilium Curulium duplum cavere de servo venditor jubebatur *l. 37. §. 1. ff. h. t.* hinc Ulpianus assiduam fuisse in servorum venditione dupli stipulationem, idque moris & consuetudinis fuisse, testatur *l. 31. §. 20. ff. de ad. edict.* quod confirmatur per *l. 4. ff. de act. emt.* & *l. 3. ff. h. t. Brisson. de formul. l. 6.* vel etiam in aliis rebus simplicium debet restitui *l. 48. §. fin. ff. de ad. edict.* antiquitus enim moris erat, ut si res non Quiritium, sed gentium jure abalienaretur, is, qui eam acquirebat duplum aut simplicium stipularetur sibi ab auctore dari, si ea res sibi iudicio adimeretur, ut notat Varro de re rust. *l. 2. c. 10.*

## VI.

Sequitur ut de rebus, in quibus locum habet evictio, despiciamus, habet autem locum in causis onerosis non lucrativis; ut *1.* & præcipue in emtione venditione *l. 1. in prime.* & *l. 60. ff. h. t.* & passim *tot. tit.* ut & in *Cod.* ita quidem, ut licet nullum verbum de evictione factum sit, nihilominus ex natura contractus præstari debeat, imo licet venditor pactus sit ne teneatur, nihilominus debet restituere pretium, & dolum malum præstare *l. 6. §. ult. l. 11. §. 15. & ult. ff. de act. emt.* ratio est, quia venditor non solum rem tradere tenetur, sed & emptorem indemnem servare *l. 11. §. 2. & l. 30. §. 1. ff. de act. emt.* non tantum habet locum in venditione rerum singularum, sed & univer-

versarum, ut hæreditatis, si nempe tota hæreditas evincatur *l. 8. §. seqq. ff. de her. & act. vend.* secus si res singularis evincatur *l. 1. Cod. h. t.* nisi pactum sit ut venditor rerum singularium evictionem præstaret: nempe si venditor de substantia hæreditatis affirmaverit *l. 15. ff. de her. & act. vend.* sed si plures res simul venditæ sint, tot sunt de evictione actiones, licet omnes uno pretio venditæ unoque instrumento comprehensæ sint *l. 47. §. 72. ff. h. t.* ratio est quia una res non censetur esse pars alterius.

V I I.

2. Habet locum in permutatione *l. 1. §. 1. ff. de rev. perm. l. 1. Cod. eod. & l. 29. Cod. h. t.* est enim venditioni similis permutatio, ita ut à veteribus JCris dubitatum fuerit, an non idem esset permutatio quod emtio. *§. 2. inst. de emt. vend.* 3. In hæreditatis divisione *l. 66. §. 3. ff. h. t. & l. 14. Cod. fam. ereisc.* si ergo post divisionem factam res aliqua ab uno hæredum evincatur, hoc detrimentum cohæres pro parte agnoscere debet per actionem præscriptis verbis *l. 14. Cod. fam. ereisc.* quæ regula tamen fallit quibusdam casibus 1. si dividentes sciverint rem periculo evictionis obnoxiam esse *l. 27. Cod. h. t. & l. 7. Cod. comm. utr. jud.* 2. Si specialiter conventum sit ne præstaretur evictio *l. 11. §. 1. ff. de act. emt.* 3. Si uni ex hæredibus res fuerit prælegata *l. 77. §. 8. ff. de leg. 2.* 4. locum habet evictio in singularium rerum divisione *l. 7. Cod. comm. utr. jud.* 5. In datione in solutum *l. 4. Cod. h. t.* quia datio in solutum non differt à venditione sed vicem venditionis obtinet *d. l. 4.* 6. in locatione conductione *l. 9. ff. locat. cond. quippe proxima est emtioni §. 1. inst. loc. cond. & l. 2. ff. eod.* 7. In emphiteusi, propter magnam familiaritatem, quam cum contractu emtioni venditionis & locationis conductionis habet *§. 3. inst. loc. cond.* 8. In feudo *l. 2. feud. tit. 8. in princ.* denique in transactione, quoad rem, quæ pro  
litis



litis æstimatione est præstita, non vero quoad rem, de qua adhuc est controversia *l. 33. Cod. de transf.*

## VIII.

Sed videndum quid in servitutibus obtineat, an in iis habeat locum evictio nec ne? distinguendum puto inter personales & reales servitutes; in personalibus servitutibus evictio habet locum *l. 15. §. 1. l. 43. l. 46. & l. 49. ff. h. t.* non autem habet locum in realibus, nisi, ut optimus maximusque esset, traditus fuerit fundus, tunc enim liberum ab omni servitute præstandum est *l. 48. §. 75. ff. h. t.* si vero emtor petat viam vel actum, venditor teneri non potest, nisi nominatim dixerit accessurum iter vel actum *l. 48. §. 75. ff. h. t.* & licet evictione experiri non possit, habet tamen actionem æstimatoriam, seu quanti minoris emisset si scivisset hanc servitutem impositam *l. 61. ff. de ad. edict.* venditor autem, si, cum sciret deberi servitutem, celavit, tenetur actione ex emto ad id quod interest, si modo eam rem emtor ignoravit, omnia enim, quæ contra bonam fidem sunt, veniunt in emti actionem *l. 1. §. 1. ff. de act. emt. Bronkhorst. cent. 2. assert. 64. Bacchov. ad Treutl. vol. 2. disp. 2. thes. 5. lit. C.*

## IX.

Ut autem in onerosis locum habet, ita in causis mere lucrativis cessat evictio, ut in simplici donatione *l. 18. §. ult. ff. de donat.* excipe nisi donator stipulanti donatario evictionem promiserit *l. 2. Cod. h. t.* aut donator dolo rem alienam dederit, & donatarius sumtus in eam fecerit *d. l. 18. §. ult. 2. in dote l. 2. Cod. de jur. dot.* nisi possit probari rem alienam dolo malo in dotem esse datam, tunc enim si illa res evincatur à domino, maritus experiri potest conditione ex lege, vel ex stipulatione, si sit interposita, quia  
in

in re aliena data non satisfactum obligationi 3. non præstat evictionem in legatis hæres rei certæ legatæ, quia legatum species quædam donationis est *l. 77. §. 8. ff. de leg. 1. & l. 4. §. 1. ff. de leg. 1.* quod tamen fallit si testator, sciens rem alienam esse, eam legaverit: quia ex conjectura voluntatis præsumitur testator hæredem onerare voluisse periculo evictionis *l. 36. in fin. ff. de usufr. leg.* quod si generaliter res legata sit, puta servus, placet hæredem hic quoque evictionem præstare *l. 58. ff. b. t. & l. 71. §. 1. ff. de leg. 1. 4.* in pignore à creditore distracto *l. 59. §. 4. ff. mand. & l. 50. ff. b. t.* si creditores jure creditorum vendant pignora, non præstant evictionem, secus si jure communi *l. 1. §. 2. Cod. credit. evict. pign. non deb.* jure communi vendere dicitur creditor, qui non tanquam creditor rem pignoratam, sed tanquam quilibet dominus rem suam vendidit *Wissenb. part. 1. exercit. disp. 41. thes. 15.* multo minus tenentur creditores, si ab officialibus pignora, judicati exequendi gratia capta distrahantur *l. 74. §. 1. ff. b. t.* si tamen apparitores dolo projecerint pignora viliori pretio, de dolo dabitur actio *l. 50. ff. eod.*

X.

Ordinis ratio postulat, ut nunc agamus de requisitis; requiritur 1. ut emtor laudet auctorem suum, id est, denuntiet venditori scienti, etiam præsentem, litem sibi esse motam *l. 7. & 20. Cod. b. t.* quia inquit Paulus Jctus in *l. 53. §. 1. ff. b. t.* dolo malo fecisse videtur, qui parum instructus ad litem peragendam, non denunciaverit suo venditori. Facienda est hæc denuntiatio ipsi auctori, ut & hæredibus ejus, quocunque gradu constitutis *l. 23. Cod. b. t.* quibus, si plures sint, omnibus denunciandum est, & omnes defendere tenentur, ita tamen, ut non omnes venire debeant, sed unus liti subsistens, omnibus vincatur aut vincat *l. 62. §. 1. ff. b. t.* etiam pupillo sine tu-

B

toris

toris auctoritate, si tutor non appareat, idque benignius receptum esse Trebatius ait *l. 56. §. ult. ff. h. t. Bacchov. ad Trent. vol. 2. disp. 2. thes. 7. lit. A.* fidejussori denuntiationem etiam fieri posse non ambigitur, nam evictionis nomine conveniri potest *l. 7. & 8. Cod. h. t. Perez. ad Cod. h. t.* adeo necessaria est denuntiatio, ut etiam presenti in iudicio fieri debeat *l. 55. §. 1. ff. h. t.* si vero auctor sciverit litem sibi esse motam, emtor nihilominus ei denuntiare debet *l. 20. Cod. h. t.* & expresse per *l. 8. Cod. eod.* ubi indistincte nisi emtor fundi auctori aut ejus heredi denuntiaverit, litem motam, evicto pradio, neque ex stipulatu, neque ex emto illi actio est contra venditorem non obstante quod certioratus non sit certiorandus *l. 1. in fin. ff. de act. emt.* nam ista regula procedit in casu, quo denuntiatio faciendâ est ad hoc, ut habeatur scientia sive rei notitia, non enim in casu, quo ultra adsumenda est rei defensio *Zoes. ad ff. h. t. Bacchov. ad Trent. vol. 2. disp. 2. th. 7. lit. B. Fach. l. 2. cont. c. 35.* quo tempore denuntiatio fiat nihil interest, an ante an post litis contestationem, modo ne fiat prope ipsam condemnationem *l. 29. §. ult. ff. h. t.*

## X I.

Effectus denuntiationis legitime factæ est, quod auctor, cui denuntiatum est, rem defendere, adeoque emtori vel suo, vel procuratorio nomine in litem adfistere, & præsto esse tenetur *l. 74. §. pen. ff. h. t.* illa autem defensio fieri debet in foro emtoris, nec venditor potest uti privilegio sui fori *l. 49. ff. de jud.* nam inquit Paulus *d. l. 49.* venditorem emtoris forum sequi solere, ratio est, quia venditor accedit ut merus & necessarius defensor emtoris, ita ut frustra privilegium proprium prætendat *Zoes. ad ff. h. t. num. 30. Fach. l. 2. cont. c. 38.* & præterea, quia lis principaliter est cum possessore, id est cum emtore, venditor tantum liti assistere vel subsistere dicitur *l. 28. Cod.*

*Cod. h. t. & l. 129. ff. de V. O.* quæri hic posset, quid juris sit, si laudatus auctor compareat, utrum iudicium in se transferat, an una cum emtore causam defendat; verius puto non transferri in venditorem iudicium liberato emtore, sed eum adfistere emtori, si post litem contestatam laudatio facta sit: non enim eximi iudicio emtor potest, cum quo lis jam contestata est *l. 20. Cod. h. t. l. 74. §. 2. ff. eod.* & præterea actio rei iudicatæ adversus utrumque datur, & adversus utrumque dirigi potest executio, si victi sint. *l. 11. & 28. ff. de except. rei jud.*

## X I I.

Alterum requisitum est ut re vera res fuerit evicta *l. 3. Cod. h. t.* nam si simpliciter lis fuerit mota, tunc emtor eum tantum potest convenire ut defendat se *l. 74. §. 2. ff. h. t.* adeoque ante evictionem non tenetur venditor, nisi ea in limine contractus immineat *l. 24. Cod. h. t.* 3. requiritur ut res evincatur ex causa, quæ præcessit possessionem *l. 51. ff. h. t. & l. 1. Cod. de per & comm. rei vend.* unde si vel casu fortuito *l. 11. & 21. ff. h. t. & l. 26. Cod. eod.* vel ob imperitiam aut imprudentiam iudicis *l. 51. ff. h. t. & l. 8. Cod. eod.* vel facto aut culpa emtoris res fuerit evicta, non tenetur auctor *l. 29. §. 1. & l. 56. §. 3. ff. h. t.* 4. requiritur ut emtor fuerit in bona fide, si enim in mala fide fuerit, debet sibi imputare *l. 27. Cod. h. t.* 5. ut res evincatur sententia iudicis *l. 24. & l. 34. §. 1. ff. h. t.* & quidem ordinarii, non arbitrari *l. 56. §. 1. ff. eod.* imo non sufficit ut sententia lata sit, sed etiam executio requiritur *l. 16. §. 1. & l. 57. in princ. ff. h. t.*

## X I I I.

Actiones, quæ ex evictione proveniunt, præcipue sunt duæ, 1. actio ex empto; quæ non ad pretium dun-

taxat recipiendum, sed & ad id, quod interest & sum-  
 tus, in rem evictam vel pro lite sustinenda factos, com-  
 petit *l. 60. § 70. ff. h. t. & l. 9, 16. § 17. Cod. eod.* etiam si ni-  
 hil de evictione cautum sit *l. 11. § 8. ff. de act. emt.* in da-  
 tione in solutum aliisque rebus, quæ vicem emtionis ob-  
 tinent, datur utilis actio *l. 4. Cod. h. t.* sed quæri hic posset,  
 an interesse in materia evictionis possit excedere duplum?  
 distinguendum puto inter venditionem bona fide & mala  
 fide factam, si bona fide facta sit, non potest excedere du-  
 plum *l. 43. in fine & l. 44. ff. de act. emt.* quia iniquum esset  
 propter venditionem bona fide factam, plus damni ven-  
 ditori inferri, quam sit res ipsa, si vero mala fide, sciens  
 alienam rem vendiderit, omnia detrimenta, quæ emtor  
 ex ea emtione habuit, reficere tenetur, etiam si duplum  
 excedant *l. 13. ff. de act. emt.* altera actio est ex stipulatu,  
 in simplum, duplum, triplum aut quadruplum, quate-  
 nus venditor emptori stipulanti promisit *l. 37. § 1. § 56. ff.*  
*h. t.* duplæ tamen stipulatio non in omnibus rebus locum  
 habet, sed in iis tantum, quæ pretiosiores sunt, simplæ  
 in accessionibus ac deterioribus & vilioribus rebus exigî &  
 præstari solebat *l. 16. ff. h. t.* ideoque hæc actio tantum ad  
 simplæ rei pretium, non vero ad interesse tendit *l. ult. ff. de*  
*prat. stip.*

## XIV.

Competit hæc actio 1. emptori, atque illo defuncto,  
 hæredibus ejus *l. 23. ff. in fine h. t.* etiam ei, cui cessæ sunt  
 actiones, vel casu quodam hypothecas habet *l. 59. ff. h. t.*  
 datur contra venditorem aut dominum, cujus nomine  
 venditio facta est eorumque successores, *l. 9. § 21. Cod. h. t.*  
 quid si plures sint venditores aut hæredes, adversus omnes  
 actio in solidum datur: natura enim evictionis est indivi-  
 dua, *l. 85. § 139. ff. de V. O.* ita tamen ut uno solvente  
 reliqui liberentur exceptione *l. 51. §. ult. ff. h. t. & l. 139. ff.*  
*de*

de V. O. datur etiam contra fidejussores, etiam si agi causam ignoraverint l. 7. Cod. h. t.

## X V.

Denique restat, ut paucis videamus in quibus casibus hæ actiones, cessent, ac 1. cessat, si emtor venditori non denunciaverit litem sibi esse motam l. 53. §. 1. ff. h. t. & l. 8. Cod. eod. peccat enim emtor, non advocando venditorem, cui poterat fuisse justa defensionis causa, scilicet scienti melius rei à se venditæ jus & conditionem: quia, nulla existente denuntiatione, fundamentum initiumque evictionis deficit Zoef. ad ff. h. t. num. 22. sed controversia gravis est, num emtori qui litem venditori non denunciavit, actio de evictione detur; si constiterit, etiam denuntiatione facta, rem defendi non potuisse: affirmandum id puto cum Bacchov. ad Trentl. l. 2. disp. 2. ib. 7. lit. A. & Fachin. l. 2. cont. c. 37. ratio est, quia lex emtori negat actionem de evictione contra venditorem, si ei litem non denunciaverit, quia præsumit eo casu rem evictam fuisse, quoniam is male instructus, causam defendere non potuerit l. 53. §. 1. ff. h. t. & l. 8. Cod. eod.

## X V I.

Cessat 2. si emtor sciverit se rem alienam aut pignori obligatam emere l. 27. Cod. h. t. & l. 7. Cod. com. nr. jud. nec quicquam de evictione convenerit: apparet enim eum, qui id facit, rem talem emere, qualis est, ut si postea evincatur, ipse de se quæri debeat, qui à se decipitur, non à venditore, l. 26. ff. de rei vind. adeoque eum, qui ita sciens emit, placet regressum adversus venditorem non habere ut ne repetere quidem possit quod dedit: contrarium tamen moribus obtinere testatur Groenew. ad d. l. 26. 3. Si aperte convenerit ne venditor de evictio-

ne teneatur, nullus enim dubitat, quin conventio illa servanda sit, si autem sciens rem alienam vendiderit, non prodest ei, tunc enim debuisset potius id emtori indicare *l. 6. §. ult. ff. de act. emt. & l. 43. §. ult. ff. de cont. emt.* verum non obstante illa conventionem, emtor, re evicta, pretium repetere potest, non vero id quod sua interest rem evictam non esse *l. 11. §. ult. ff. de act. emt.* quia à bonæ fidei contractus natura & æquitate esset alienum, ut res emtori auferatur, & pretium maneat penes venditorem.

## XVII.

4. Cessat si evictio fiat culpa emtoris *l. 55. & 63. ff. h. t. & l. 8. Cod. eod.* ut si præscriptionem, cum potuit, non interrupit, vel si non usuceperit, cum potuisset *l. 56. §. 3. ff. h. t.* si defensionibus justis non sit usus *l. 29. §. 1. ff. h. t.* aut si propter ejus contumaciam res fuerit evicta; quia hoc casu culpa vel factum emtoris intervenit, quod non debet alteri obesse. Denique si emtor in arbitrum compromiserit, & contra eum data sit sententia, nulla ei danda est actio adversus venditorem *l. 56. §. 1. ff. h. t.* in qua lege additur hæc ratio, quod nulla necessitate cogente id fecerit; sed quæritur, an hæc ratio faciet, ut excipiamus casum, si emtor docere possit se, ad evitandos sumtus & incommoda longæ litis id facere coactum: **R.** quod non, non enim ipsi de aliena causa laborandum erat, sed post denunciationem venditoris arbitrio relinquendum erat: nam ipse compromittendo rem suam facere videtur, quia nemo potest compromittere nisi de rebus quarum liberam habet administrationem: an quoque excipiemus casum si certum sit evictionem non potuisse evitari? nec id lex aut ratio permittit, non enim necessitas emtorem tali casu ad compromittendum coëgit, quid si emtor venditori denunciaverit cum ad arbitrum iret? venditor impune non parebit; quia extra compromissum arbiter est privatus.

## XVIII.

5. Cessat si res casu fortuito perierit *l. 26. Cod. h. t.* ut si res, antequam evincatur, sine emtoris dolo perierit et si alienam fuisse probari possit, evictio tamen cessat *l. 21. ff. h. t.* nec hoc iniquum est, quod emtor rem amittat, nec pretium repetere possit, quia post venditionem contractam omne periculum spectat ad emtorem *l. 8. ff. de per. & comm. rei vind.* & præterea si per injuriam, imprudentiam aut stultitiam judicis res fuerit evicta, cessat hæc evictionis actio *l. 5. & 51. ff. h. t.* verum in dubio pro sententia præsumitur *l. 25. ff. de stat. hom.* neque hic quicquam interest utrum pecunia corruptus sit iudex, aut dolo malo male judicaverit: an vero imperitia & errore *l. 51. ff. h. t.* movetur hic dubium, si fundus à principe publicatus fuerit, an venditor evictionis nomine obligetur? negandum id puto, si post traditionem ager fuerit publicatus: nam *Paulus l. 11. ff. h. t.* responder futuros casus evictionis post contractam emtionem ad venditorem non pertinere, si vero ante traditionem fundus fuerit publicatus, & per emtorem non steterit, quo minus traderetur, datur ei utilis actio ex emto *l. 35. ff. locat cond.*

## XIX.

Ultimo loco cessat evictio, si emtor de ea transfegerit *l. 17. Cod. h. t.* juraverit, vel confessus amiserit actionem, item si rem pro de relicto habuerit *l. ult. ff. h. t.* quia nulla necessitate cogente id fecit, & denique, si cum venditor admonuisset emtorem, ut publiciana potius, quam rei vindicatione experiretur, ac nihilominus directa actione egerit *l. 66. ff. h. t.*

## X X.

Coronidis loco dicendum aliquid restat de exceptionibus, quæ iis obstant, qui perperam rem venditam evincere

FRANCISCI HALMA,

in Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ

Typographi, celsi Jussu.



cere conantur : & primum quidem ipsi venditori , qui , cum rem alienam vendiderit , & postea ejus rei dominus factus sit , eam velit evincere , obstabit vel exceptio rei venditæ & traditæ *l. i. ff. de except. rei vend.* vel exceptio doli mali ; improbe enim rem à se distractam evincere conatur *l. 17. ff. h. t.* aut integrum est emtori , an rem ; opposita exceptione , retinere ; an evincenti cedere ? ac deinde ad id quod interest , vel ad duplum ex stipulatu contendere velit *l. 17. ff. h. t.* nocet & hæc exceptio successoribus venditoris , qui agunt aut jure hæreditario , aut jure proprio *l. 14. Cod. h. t.* si agant jure hæreditario , pari ratione eadem is exceptiones obstabunt , quæ defuncto opponi poterant *l. ult. ff. de excep. rei vend.* si vero egerint jure proprio vel ex sua persona , eo casu actionem quidem habent , *l. 73. ff. h. t.* verum tamen repelli possunt per supradictas exceptiones : non tamen nocet venditori & ejus successoribus , sed & fidejussori , ut si hic pro valore venditionis sponderit , & deinde rei venditæ , quæ tunc erat aliena , dominus sit factus , ipsi rem evincenti obstabit exceptio *l. 11. Cod. h. t.*

## C O R O L L A R I A.

1. *In omni conjunctione locum habet jus accrescendi.*
2. *Bona fidei possessor lucratur omnes fructus , tam naturales quam industriales.*
3. *Donatio omnium bonorum est licita.*
4. *Usucapio est justus modus acquirendi.*
5. *Quarta divi Pii est omnium bonorum.*
6. *Commodatarius tenetur , si in casu ruina , incendii res commodatas propriis non pretulerit.*
7. *Tutoris datio non est jurisdictionis ordinaria , sed legitima.*

F I N I S.